



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

§. An sit mortale confiteri venialia absque vllo dolore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

fectum, probatur, quia si non habet postea effectum, iam peccata illa non remitterentur ex vi alicuius confessionis Sacramentalis directe, sed vel per actum contritionis solum, quem postea eliceret homo, vel per aliam confessionem sequentem de aliis peccatis, in qua illi priora indirecte remitterentur, neutrum autem dici potest: non primum, quia per contritionem non remittuntur peccata sine ordine ad confessionem, cuius votum in contritione includitur, ut constat ex Tridentino *dist. 14. cap. 4.* Tunc autem contritio nullum haberet votum confessionis illorum peccatorum, cum nulla esset obligatio ea iterum confitendi, ut supponitur. Non potest ite dici secundum, quia in lege nona Christus voluit quod seclusa ignorantia, vel impotencia, omnia peccata hominis, baptizati remittantur directe per Sacerdotem: hoc enim significant illa verba *quorum remisistis peccata, remittuntur, & quorum retinueritis, id est non remisistis, & quorum retinueritis*, id est non remisistis. Nec sufficit remissio indirecta ad satisfaciendum huic obligationi; Nam si hoc effectus, non esset obligatio confitendi peccata, quorum poenitens obligatus fuit in priori confessione; & à quibus tunc iam fuit indirecte absolutus: teneatur tamen ea iterum confiteri, ut directe tollantur per Sacerdotem; Ergo non sufficit indirecta ablatio ad satisfaciendum præcepto Christi. Hinc ergo inferitur, quod si confessio, & absolutio prior informis, nunquam haberet suum effectum, illa peccata deberent iterum deferri ad confessarium, ut ab ipso aliquando efficaciter tollerentur. Quod tamen cum non fiat, imò omnes ad huc finem potissimum defendant Sacramentum validum, & informe, ut liberent poenitentiam ab onere repetendi illas confessiones, fatendum est, priorem absolutionem exercere postea suas vires, & tollere illa peccata: Vnde patet ad argumenta P. Vasquez: constat enim quidquid sit in aliis Sacramentis, in hoc tamen esse specialem rationem asserendi, quod ablato obice, causat postea suum effectum. Alia argumenta adduximus ad hoc probandum *agentes de Sacramentis in genere dist. 9. sect. 6.* ubi de aliis etiam Sacramentis explicuimus nostram sententiam.

Inferitur secundo deciso alterius questionis de qua P. Vasquez *arr. 1. dub. 1.* Vtrum scilicet ex defectu integritatis confessionis possit esse Sacramentum validum, & informe? Ad hoc enim brevius respondetur negativè: nam vel peccatum aliquod omisum fuit culpabiliter, & tunc confessio erit nulla propter defectum propositi non peccandi, cum in ipsa confessione peccatum sit, vel fuit omisum in culpabiliter, & tunc confessio erit valida, & formata: manebit tamen obligatio confitendi iterum illud peccatum omisum, quod idè erit quando peccatum fuit à poenitente dictum, sed confessarius illud non percepit: perinde enim erit, ac si dictum fuisset. De hoc tamen non est specialis difficultas.

SECTIO VIII.

§. 1. De dolore requisito in confessione de Venialibus.

Supponimus ex infra dicendis, peccata venialia etiam sola absque mortalibus, esse posse materiam sufficientem huius Sacramenti: quæstio ergo est, an requiratur ad eodem absolutionem Sacramentalem talis, tantusque dolor, sicut de mortali-

bus dictum est? Non est autem quæstio nunc, quomodo peccata venialia remittantur extra hoc Sacramentum, an scilicet requiratur poenitentia de illis formalis, vel virtualis, an remittantur, quoties infunditur de nouo gratia habitualis, & alia eiusmodi, de quibus dixi *suprà dist. 9.* Nunc ergo solum agimus de peccatis venialibus, quatenus sunt materia confessionis, & remittuntur directe per absolutionem Sacerdotis an & qualem dolorem exigant, sub quo titulo plura dubia comprehenduntur, quæ suo ordine breuiter proponemus & definiemus.

Primo ergo dubitatur, an in confessione, quæ sit de venialibus, requiratur dolor de illis, sicut aliter qui, qui dicunt, nec ad valorem, nec ad effectum Sacramenti requiri dolorem absolutum, & efficacem, sed sufficere inefficacem, quia alioquin nunquam remitterentur per absolutionem: si enim præcessit dolor efficax, per ipsum dolorem remissa erant, si verò non datur ille dolor, absolutio non esset valida de illis: fatendum ergo est remitti posse per absolutionem Sacramentalem etiam sine dolore perfecto, & efficaci.

Vera tamen Theologorum sententia negat, confessionem absque dolore efficaci habere effectum, aut valorem, etiam si de solis venialibus fiat. Videtur Suarez *dist. 1. o. sect. 6.* colligere potissimum ex doctrina conciliorum, in quibus partes huius Sacramenti assignantur contritio, confessio, & satisfactio, &c. nomine autem contritionis non potest intelligi propriè dolor ille imperfectus, seu displicentia inefficax: contritio enim est detestatio peccati commissi, ut definit Tridentinum. Illa autem displicentia non est detestatio, aut retractatio, imò potest stare simul cum proposito iterum committendi illud peccatum, & cum ipso peccato actuali: est autem incredibile, quod Deus remittat peccatum huiusmodi habenti complacentiam in ipso nec deferenti formaliter aut saltem virtualiter priorem voluntatem peccaminosam.

Nec obstat ratio in contrarium adducta. Respondetur enim peccata venialia remitti sæpe per absolutionem. Primo quando homo simul ea confitetur cum aliquo mortali non prius dimisso: Tunc enim licet habuisset attritionem prius de venialibus, non fuissent remissa, cum esset in statu peccati mortalis. Secundo, quando homo etiam in gratia habuit attritionem de venialibus, non semper omnia ei remittuntur: ut dixi, *dicta dist. 9. sect. 1.* quare possunt tunc remitti virtute absolutionis. Quod autem diximus de confessione venialium, dicendum est à fortiori de confessione mortalis, quod iam per aliam confessionem, & absolutionem dimissum fuerat, ad secundam enim requiritur etiam dolor solutus, & efficax, nec sufficit simplex displicentia inefficax.

§. 2. An sit mortale confiteri venialia absque ullo dolore?

Hinc oritur secundum, an dubium sit peccatum mortale confiteri sola venialia absque dolore efficaci de illis? Quidam Theologus Recentior id negavit: quia frustrare Sacramentum materia leui, non est culpa gravis: primo quia cum aliquis confitetur plura venialia, si nō doleat de omnibus, sed de aliquibus, nō peccat mortaliter, & tamen frustrat Sacramentalem absolutionem ab aliquo effectu partiali, scilicet, in remissione illorum, de quibus non dolet: ergo licet frustretur absolutio in remissione omnium, non erit culpa gravis. Secundo

103.
An ex defectu integritatis confessionis, possit Sacramentum esse validum & informe?

104.

Secundò, quia Caietanus, & alij censent Sacramentum Eucharistiae non conferre gratiam, nisi cum actuali attentione accipiat: & tamen non erit peccatum mortale carere illa intentione actuali; licet ea de causa frustretur Sacramentum suo effectu. Tertiò, quia non est culpa mortalis non implere poenitentiam leuem impositam ob peccata venialia, licet idcirco Sacramentum, quoad illam partem maneat imperfectum, & frustretur effectu. Quartò, quia non est culpa mortalis contrahere matrimonium absque intentione, & consensu interno ad vitandum aliquod grave damnum, licet propter fictionem irritum fiat Sacramentum: ergo nec erit mortale non procurare valorem absolutionis in confessione de peccatis venialibus.

Hac sententia videtur omnino falsa, ex ipsa enim videntur sequi gravissima inconuenientia, si semel admittamus, non esse culpam grauem reddere scienter irritam formam Sacramentalem, sequitur enim, non fore culpam grauem reiterare formam Baptismi, vel si aliquis iam baptizatus, offerat se iterum baptizandum ab ignorante priorem Baptismum; cuius turpitudine consistit in eo, quod faciat proferri verba formae ferè in eo casu, in quo non possunt esse valida. Hac etiam ratione est peccatum graue, si femina sub veste viri faciat se ordinari ab Episcopo, vel si Sacerdos proferat verba consecrationis super aquam scienter, etiam si habeat intentionem postea consecrandi vinum ad perficiendum sacrificium. Similiter est culpa grauis, si homini non agrotanti ministretur Sacramentum Extreme vntionis, & alia huiusmodi in quibus actio Sacramentalis redditur irrita ex incapacitate subiecti, vel materiae. Ergo eodem modo erit culpa grauis facere, quod Sacerdos proferat absolutionem Sacramentalem super materia incapaci, scilicet, quando non praecedat confessio cum dolore requisito ad valorem.

Nec satisfacit dicere frustrari Sacramentum in re leui: Lenitas enim, vel grauitas in praesenti non debet attendi secundum grauitatem, vel lenitatem materiae secundum se; sed in ordine ad Sacramentum, cuius irritatio semper est res grauissima. Nam acetum etiam secundum se est res leuissima; & tamen offerre acetum ad consecrationem, est res grauissima, quia proferuntur verba Christi omnino frustra. Similiter ergo, licet peccata venialia sint culpae leues, non est tamen leue dare illa pro materia formae Sacramentalis, quae proferuntur nomine Christi, quando re vera ipsa peccata non possunt esse materia, & verba Christi frustra proferuntur: ex hac enim irreuerentia desumitur tota malitia illius peccati, quia scilicet verba Christi, (qualia sunt formae Sacramentales, quae à ministris Christi eius nomine proferuntur) applicantur frustra, & quasi irritorie, cum sit absque omni proclius utilitate, aut effectu.

Nec etiam satisfacit dicere, quod effectus, quo homo priuatur ob irritationem absolutionis, sit leuis, nempe remissio peccati venialis. Hoc, inquam, non satisfacit, quia in aliis etiam casibus adductis homo patitur iacturam similem, scilicet, quando absque intentione recipiendi Sacramentum faceret se confirmari ab Episcopo, patitur iacturam gratiae Sacramentalis, quae non est simpliciter sibi necessaria: item si femina se faciat ordinari, non patitur ullam iacturam, & sic in aliis casibus, & tamen in his sit peccatum grauissimi sacrilegij; quia non attenditur ad id, quod priuatur recipiens Sacramentum, sed ad irreuerentiam, quae fit contra ipsam actionem Sacramentalem, usurpando illam inutiliter; ergo similiter, quando

P. Ioh. de Lugo de Poenitentia.

absolutio Sacramentalis proferitur inutiliter absque valore, & effectu gratiae peccabitur grauius propter eandem rationem.

Hinc autem potest desumi aliud simile argumentum; quia si illud non esset peccatum mortale, eo quod poenitens leuem iacturam incurrat: idem posset dici, quando confessio est de peccatis mortalibus: Nam licet remissio peccati mortalis sit res magni momenti, & grauior multò, quam remissio peccati venialis: non est tamen graue, sed leue, quod peccatum mortale remittatur per hanc absolutionem, vel per aliam: ergo si poenitens haberet intentionem confitendi hodie alteri Sacerdoti cum debito dolore, non fraudaret Sacramentum in re grati, licet in alia priori confessione scienter confiteretur peccata mortalia absque dolore; quod tamen absurdissimum est.

Denique confirmari potest; quia si illae rationes probarent, non esse mortale non asserere illum dolorem, probarent etiam non esse mortale, si aliquis confiteretur vnum solum veniale, quod tamen nunquam fecisset, sed ex leuitate, & mendacio illud diceret; Nam mendacium de re leui etiam in confessione non est mortale, ut suppono; Ergo si aliunde irritatio Sacramenti non est irreuerentia grauis non apparet unde illud esset peccatum graue, quod tamen esse graue sacrilegium, si scienter fiat, nemo negat praeter Philippum Fabrum Patavinum professorem, quid id nonissimè ausus est negare *tracl. de poenit. in 4. sent. disp. 17. q. vnic. disp. 14. c. 3. n. 51.* contra omnes Theologos.

Ad rationes ergo illius Auctoris, respondetur. Ad primam admissa maiori, de qua postea agemus, negando consequentiam, quia in illo casu Sacramentum non frustratur toto effectu, nec redditur irritum, cum maneat aliqua materia valida, quae sufficit ad hoc, ut verba Christi non proferantur frustra, & irritorie: at verò in nostro casu supponimus, nullam manere materiam, & per consequens Sacramentum reddi omni ex parte irritum, quae sane est multò grauior irreuerentia.

Ad secundam respondetur, illo ipso argumento reiciì solere sententiam illam Caietani, & aliorum, quia consequenter ad sua principia deberent concedere, peccare mortaliter eum, qui absque deuotione, & attentione actuali recipit Eucharistiam, ut notauit P. Vasq. *tom. in 3. p. disp. 206. n. 11.* Adhuc tamen est maior ratio in nostro casu ad asserendam culpam mortalem, in quo non solum impeditur fructus, sed etiam valor Sacramenti per defectum materiae validae; atque adeò maior videtur fieri iniuria Sacramento, quam si solum priuaretur effectu.

Ad tertiam respondetur, non implendo poenitentiam leuem non fraudari Sacramentum suo valore, ut constat, neque etiam toto fructu, sed aliqua leni parte fructus, in quo non reperitur grauis irreuerentia; neque enim quolibet minima integritas Sacramenti obligat grauius; nec debet sub culpa graui homo procurare quam maximum fructum habere possit ex quolibet Sacramento.

Ad quartam respondetur; argumentum infirmum esse à Sacramento matrimonij ad alia Sacramenta; multa enim, quae in aliis Sacramentis non licet propter reuerentiam Sacramenti, licent in matrimonio, quod cum esset contractus humanus onerosus voluit illum Christus relinquere, qualis in se erat, eleuando tamen illum ad rationem Sacramenti. Hinc est, matrimonium posse valide, & aliquando licet contrahi sub conditione de futuro, licet alia Sacramenta non possint valide sub tali conditione celebrari, ut vidimus *disp. praeced. sect. 5.* matrimonium item potest per procuratorem,

& in absentia recipi, quod in aliis Sacramentis non contingit: potest nutibus, & signis fieri, cum alia Sacramenta requirant voces: denique in aliis minister non potest scienter ea ministrare indigno: in matrimonio tamen coniux, qui est minister, potest ministrare illud alteri coniungi, licet sciat, ipsum esse in statu peccati, quia Christus voluit relinquere hunc contractum humanum; qualis apud homines fiebat ne per elevationem ad Sacramentum difficilior esset. Sic ergo noluit cogere contrahentes, ad hoc ut propter reverentiam Sacramenti eurent, ne unquam irritum esset, sed reliquit eis facultatem, quam prius habebant fingendi consensum, & reddendi contractum irritum, qua parte contractus est, notant P. Henriquez lib. 1. de matrim. c. 9. n. 6. & P. Thom. Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 1. n. 2. ne gravior esset hic contractus propter rationem Sacramenti, si ea occasione cogere homines prestare consensum in suum præiudicium, quando ex natura contractus ad id non tenebatur. In aliis autem Sacramentis, quæ non sunt ad alium usum, nisi ut sanctificent suscipientes & colatur Deus: non mirum, quod exigatur reverentia omnimoda, cum non sint actiones profanæ, qualis est matrimonium, nec ad alios fines necessarie, sed actiones merè sacræ, & sanctæ, quæ non nisi religioso animo, & piæ, ac reverenter tractandæ sunt.

S. 3. An sit obligatio sub mortali ad dolorem de omnibus venialibus in confessione explicatus.

117. TERTIUM dubium consequenter ad hæc est, an dolor efficax ita requiratur ad Sacramentum pœnitentiæ, ut sit mortale non habere dolorem de omnibus venialibus, quæ in confessione dicuntur? Non pauci affirmant, esse mortale, ut testatur Suarez disp. 20. sect. 6. num. 7. quia confiteri aliquid veniale absque dolore efficaci, est apponere pro materia Sacramenti id, quod non potest esse eius materia, quare sicut peccaret graviter, quia apponeret Sacerdoti consecrandas decem hostias, quantum quinque non essent triticeæ, licet apponeret alias triticeas; sic videtur graviter peccare, qui offert Sacerdoti pro materia absolutionis decem peccata, quorum aliqua ex defectu doloris non sunt materia absolutionis validæ.

118. Probabilior tamen videtur sententia negans, id esse peccatum mortale, quam tenet Suar. ibi. Henriquez lib. 1. de Sacram. pœnitent. c. 26. §. 7. Fagundez lib. 2. de secundo Ecclesiæ præcepto cap. 1. n. 13. & alij. Probatum exemplo aliorum Sacramentorum, in quibus admistio alienius partis, quæ non sit materia valida, non est culpa gravis, dum tamen apponatur materia valida. Sic enim in Baptismo cum aqua effundenda miscetur aliqua pars olei benedicti, quæ quidem non est materia valida Sacramenti. Item in Eucharistia, licet in vino consecrando apponatur immediatè ante consecrationem pars aquæ, quæ iuxta communem multorum sententiam non consecratur, nisi prius fuerit in vinum conversâ, & licet illo brevissimo tempore non fuerit conversâ in vinum adhuc licet proferantur verba consecrationis. Similiter non esset peccatum mortale secundum se, & seclusa Ecclesiæ prohibitione, si panis consecrandus decoris, & ornatus gratia, aliqua ex parte leniter aureis punctis, vel lineis depingeretur, licet illa particula auri, non posset, verè consecrari. Denique in hoc ipso pœnitentiæ Sacramento frequenter pij homines solent se accusare de imperfectionibus, & defectibus, qui non sunt

peccata venialia, nec aliquis dixit, eos in hoc peccare mortaliter. Est etiam communior, & verior sententia, pœnitentem falsò se accusantem de aliquo veniali, quod non fecit, non peccare mortaliter, si apponat aliam materiam veram, ut dicemus disp. 16. sect. 2. circa finem. In quo etiam casu apponitur pro materia id, quod non est materia valida; Ergo nec in nostro casu accusare se de peccato veniali, absque dolore, & proposito efficaci illius vitandi, erit peccatum mortale: iam enim apponitur alia materia valida, & per consequens forma non frustrabitur, nec carebit omni effectu, licet careat aliquo quem posset etiam habere circa illud peccatum, de quo pœnitens efficaciter non dolet.

Ad exemplum illud de hostia non triticea apponita cum aliis triticeis. Respondetur negando paritatem & quidem P. Suarez infra disp. 2. sect. 10. n. 8. cum illud exemplum sibi obiceret ad probandum, esse peccatum mortale accusare se de aliquo peccato veniali non commissio, respondet, discrimen esse quod forma Eucharistiæ per se primo respicit materiam, & illam designat, & effectum circa illam significat: Unde si apponatur materia falsa, iam ex illa (saltem parte falsificatur forma, forma verò huius Sacramenti per se primo significat personam, & effectum circa illam, dum dicitur, *Ego te absolvo*, quare omnino est vera, licet non cadat supra omnia peccata à pœnitente adducta. Non enim dicit, hæc omnia sunt peccata, & condonantur tibi, sed solum significatur, quod pœnitens accipiat effectum gratiæ remissionis peccati, qui effectus non impeditur, licet aliquid veniale remissibile non sit ex falsitate, vel indispositione pœnitentis: in quibus verbis ultimus videtur Suarez hanc eandem solutionem extendere ad nostrum casum, in quo non ex falsitate, sed ex indispositione provenit, quod non absolvetur à tali peccato veniali.

Ceterum, licet hæc solutio utilis fortasse sit, si magis explicetur ad illum casum de veniali falso, in quo dici posset, sensum formæ manere verum, quatenus solum significatur, hominem manere liberum à reatu, quem ex illis peccatis habuisset, quicumque ille esset, quod videtur verum, licet aliquid illorum peccatorum non fuisset commissum. Nam adhuc verum est, quod remittitur reatus relictus ex illa collectione narrata, licet non fuerit relictus à singulis, in nostro tamen casu difficultas est, nam verba immediatè non significant, ut verba sunt, effectum gratiæ utrumque, ut supra vidimus disp. 13. sect. 3. sed remissionem offensæ divinæ, & solutionem vinculi: Ergo si re vera Sacerdos hic, & nunc non remittit hanc offensam, verba secundum propriam significationem, quam habent ut verba sunt, non erunt vera, sed aliqua ex parte falsa.

Meliùs ergo iuxta principia ibi à nobis tradita responderi potest, ratione discriminis inter utramque formam esse, quod in forma pœnitentis non significant verba omnino absolute ablatione peccatorum, sed sensus est, ergo quantum est ex me, remitto tibi peccata, qui sensus verus est, etiam quando ob indispositionem pœnitentis Sacramentum est invalidum, & informe, ut ibi diximus, atque verus etiam erit in casu nostro quando ob defectum doloris de aliquo veniali illud non tollitur; adhuc enim est verum, quod Sacerdos, quantum est ex parte sua, illud remittit nomine Christi, licet remissio non fuerit valida ob defectum pœnitentis. At verò in forma Eucharistiæ verba significant omnino absolute, illud esse Corpus Christi, quare oportet ex vi verborum, quod in singulis saltem hostiis sit Corpus Christi, licet non requiratur ad eorum veritatem, quod non